



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 221. Quid sit arbor consanguinitatis, stipes, linea, gradus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

*Quaest. 220. Quotupliciter sumatur consanguinitas.*

**R** Esp. Sumitur dupliciter in iure: Primò strictè ac civiliter, pro ut tantùm comprehendit fratres ex eodem patre petitos, & eos tantùm, qui per lineam masculinam seu per virilis sexus cognationem sunt conjuncti, ac ideo idem nomen & familiam sequuntur & agnati dicuntur, siue mares sint, siue feminæ. Sic Titius ejusque filii ac filia Germani fratres, eorumque filii ac filia agnati dicuntur & consanguinei in hac stricta significatione. Secundò latè & naturaliter secundum propriam actotam vim suam significandi, ut Barb. l. c. n. 7. pro ut comprehendit non tantùm eos & eas, qui ex parte patris, sed & eos, qui ex parte matris seu per lineam maternam sunt conjuncti, & cognati dicuntur; ita ut & agnatos & cognatos, seu omnes descendentes, siue à matribus, siue à feminis comprehendat; ita Pirh. b. t. n. 2. ex Barb. l. c. ubi is etiam, quòd Juris consulti & Imperatores consanguinitatis nomen frequentissimè in stricta illa ac civili significatione usurpent, licet etiam aliquando, sed ratio in dicta illa significatione propria ac naturali; ut constat ex l. cum quidem. ff. de acquir. hered. & ibi Gl. v. consanguineus. l. hac parte. ff. unde cognati. E contra Pontifices utantur illo in significatione illa lata, propria & naturali; ita ut vix unquam usurpent illud in significatione illa civili, ut constat ex c. tua nos. c. non debet. b. t. hodie dum verò ex consuetudine & communi loquendi usu usurpetur in lata illa significatione, & pro ut utriusque linea descendentes comprehendit, ut Bald. in l. ult. de V. S. num. 3.

*Quaest. 221. Quid sit arbor consanguinitatis, stipites, linea, gradus.*

**1.** **R** Esp. ad primum: Arbor consanguinitatis, accipiendi illam, pro ut complectitur ramos, radicem seu stipitem, est collectio personarum de uno sanguine propinquè participantium, distincta per stipitem, lineas & gradus; & sic à parte rei nihil est aliud, quàm omnes personæ consanguineæ collectivè sumptæ.

**2.** Resp. ad secundum: Stipes est persona, à qua omnes personæ illæ, de quarum conjunctione quaeritur, descendunt, seu originem ducunt.

**3.** Resp. ad tertium: Linea consanguinitatis est series seu collectio ordinata personarum sanguine junctarum ab eodem stipite descendentium. Linea hæc duplex est, una dicitur recta, & est series seu ordo personarum, quarum una ab altera originatur. Bisariam subdividitur, nimirum secundum habitudinem principii ad eos, qui inde originantur, & secundum habitudinem eorum, qui derivantur ad suum principium. Laym. l. c. n. 3. Prior vocatur linea descendentium seu inferior, in qua continentur personæ, quæ ab ascendentibus derivantur, ut filii, nepotes, pronepotes, abnepotes, & sic in infinitum. Posterior dicitur ascendentium seu superior, in qua stant ii, à quibus alii ducunt originem, ut pater, avus, proavus, abavus, &c. Altera dicitur linea transversa, transversalis, obliqua, collateralis; & est series & ordo personarum sanguine inter se junctarum, descendentium quidem ab eodem stipite, quarum tamen una ab alia non ducit originem, ut frater patris, filii & filia fratris, nepotes & neptes ex fratre, pronepotes & proneptes ex fratre; item patruus & amita, magnus patruus, & magna amita, magnus propatruus, & magna pro-

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. IV.

amita &c. Linea collateralis seu transversa alia est æqualis, continens nimirum personas, de quarum cognatione quaeritur in æquali gradu distantes à communi stipite. V. G. duo fratres, frater & foror. Si autem unus altero pluribus gradibus distet (hoc est, inter ipsum & stipitem plures personæ mediant, quàm inter alterum & stipitem) sunt collaterales in linea inæquali; sic frater à fororis vel fratris filia distat inæqualiter; quia fratres cum stipite, nempe patre, sunt in primo gradu, filia est in secundo gradu à stipite, ergo in inæquali gradu. Porro quoties fit mentio lineæ, nisi aliud exprimat, de linea recta intelligendum est, & non de transversa, monet Castrop. l. c. p. 7. n. 2. ex Peregrin. de fideicommiss. a. 22. & seq. Illud etiam notandum, quòd licet aliàs nepos propriè dicatur filius genitus ex filio vel filia respectu avi. l. jurisconsultus. §. nepos quoque. ff. de gradibus. appellatione tamen nepotis veniat etiam fratris vel fororis filius secundum communem usum loquendi. Pirh. b. t. n. 20. juxta c. tua nos. b. t. & Abb. ibi. n. 2. qui etiam addit, etiam in statutis nomine nepotis venire fratris filium.

**4.** Resp. ad quartum: Gradus consanguinitatis est habitudo conjunctionis unius consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, à quo descendunt. Castrop. l. c. siue est distantia unius personæ ab altera in linea seu scala consanguinitatis Laym.

*Quaest. 222. Quæ sint regule pro computandis & cognoscendis gradibus consanguinitatis.*

**1.** **R** Esp. Statui communiter tres: Prima pro linea recta, ascendentium nimirum & descendentium, quam tam in iure civili, quam canonico receptam esse dicit Pirh. b. t. n. 4. nimirum quòd in linea recta tam ascendente quàm descendente tot sint gradus, quot personæ, unà demptâ, nimirum communi stipite, à quo prima ducitur origo; unde pater & filius sunt juncti in primo gradu (pater enim secundum se non constituit gradum, sed in ordine ad filium, adeoque cum eo constituit primum gradum; hic filius iterum cum filio à se genito secundum gradum) avus & nepos in secundo gradu, proavus & pronepos in tertio gradu, abavus & abnepos in quarto gradu. Eandem regulam sic exponit Castrop. l. c. n. 3. tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot generationibus mediantibus ab eo descendit; sic filius est in primo gradu cum patre; quia mediâ unâ generatione ab eo procedit, nepos cum avo in secundo gradu, quia duplex generatio inter eos mediat.

**2.** Altera est regula pro linea transversa æquali, desumpta ex c. ad sedem. & c. parentela. 35. q. 5. quot gradibus personæ distant à stipite, tot gradibus distant inter se; cum enim tota & adæquata ratio conjunctionis harum personarum sit unio cum stipite communi, merito computantur gradus juxta distantiam ab illo, nec possunt magis aut minus distare inter se, quàm à stipite. Sanch. l. 7. d. 50. n. 5. Pirh. b. t. n. 5. Sic itaque quia duo fratres vel sorores uno solùm gradu in linea recta distant à communi stipite, ideo ipsi inter se uno tantum gradu distant in linea transversa; patruales verò & consobrini, id est duorum fratrum vel sororum filii vel filia, quia in linea recta à communi stipite, hoc est, ab avo vel avia, distant duobus gradibus, ipsi inter se distant duobus gradibus; adeoque in secundo linea transversa sibi conjuncti, similiter filii & filia patrueliam vel consobrinorum, quia in linea recta distant tribus gradibus à stipite, sibi sunt in tertio gradu conjuncti.

P

3. Tertia